animantibus iure meritissimo anteponendus existimaretur.
Non ego quidem adimo leoni fortitudinem, non cervo veloci-
tatem, non pulchritudinem pavoni, non suavitatem cantûs lus-
ciniæ, non denique vastitatem corporum marinis piscibus: sit
sit leo fortis, sit velox cervus, habeat pulchritudinem pavo,
cantûs suavitatem luscinia, extollant grandia vastaque
corpora cetæ; at certè non ideo pulchri proferenda
existimo, illa enim laudem merentur, non sibi ipsis solum
propriam, sed etiam aliis plurimis communem: fortis est
leo? at etiam taurus, panthera, et alia quædam animantia;
velox est cervus? non minus tigris, lepus et dama; formo-
sus pavo? non cedit illi struthio, et ea volucris, quæ ob suam
pulchritudinem paradisiaca nuncupatur; excellit cantûs
suavitate luscinia? quidni acanthis et alauda; denique
grandia corpora habent cetæ? at non minus vasto corpore
alii pisces marini, imò et terrestria quædam animantia,
elephas videl. et camaleon conficiuntur: at vero non
leo, non cervus, non tigris, non elephas et camaleon, non
luscinia aut acanthis, non denique grandia cetæ tam nobi-
lem habent originem, ut pulex noster, illa enim communi
sorte aut in terra aut in aëre, aut in aquarum vorticibus
nascuntur, solus solus pulex ex Domine ducit originem, solusque
pro sua patria Domino gloriatur; quidni igitur pulicem
quippiam prostantissimum animal dixerit, quidni omnibus reliqs
animantibus ob patriæ dignitatem antetulerit!

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 269r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/fr/zbz/D0147/269r)